Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36942
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

David interfecit leonem et ursum

206

Et nullum sibi similem inter omnes filios israel estimabat
David autem ipsum ad terram cum funda deiecit
Et proprio gladio ipsum cum dei adiutorio interfecit
Golias iste superbus gigas tenet figuram lucifer
Qui in regno celorum affectavit similis deo fieri
David autem pastor qui hunc superbum gigantem prostravit
Cristus est qui temptationem superbie humiliter superavit
Temptationes superbie diverse sunt et ubique iam generales
Quia regnant non tantum inter seculares sed et inter claustrales
Sepe enim quam nulla vicia vincere possunt
Vana gloria et appetitus et humani laudis corrumpunt
Sepe sub veste vilissima latet mens camelata
Sicut purpura imperatoris et aurata
Tercio xpus dyabolum in temptatione avaricie superavit
Hic et David in nece leonis et ursus prefigurabant
Leo et ursus convenienter avariciam prefigurabant
Quia auferendo sibi ovem rapinam perpetrabant
David autem ovem suam eripiens raptores interfecit
Et xpus superata temptatione avaricie sathanam a se reiecit
Abiecto autem sathana accesserunt angeli
Et tamquam victori et triumphanti ministrabant ei
Sic qui viriliter pugnaverit contra dyabolum et triumphaverit
Ministerio et consorcio sanctorum angelorum dignus erit
O bone ihesu da nobis in cunctis temptationibus triumphare
Ut tecum mereamur in perhenni gloria habitare Amen